

1354 rat, Hadriacum sinum tumultuose ingressus, quamplurima navigia temere occurrentia paucis diebus intercepit: inde in Histriam usque progressus, Parentium vi occupat, ac diripit: direptum, sublati inde Divorum Caroli & Mauri corporibus, concremavit. Venetiis, hostium adventu, inde Parentino excidio tumultuose nunciato, non minus trepidatum est, quam si Ligur in conspectu fuisset. Continuo itaque illi navium catena in portu cum validissimo præsidio objecta: quippe quem, quia robur classis procul domo abesset, ad urbem recto cursu venturum vulgo credere. Vigiliæ & stationes per urbem dispositæ: speculatoriæ naves ad præsentendos eorum motus passim dimissæ. Nec trepidari prius est desitum, quam Ligusticam classem toto sinu excessisse cognitum est. Aurius Histria profectus, cetheam unam Venetam alto mari adeptus, tribus Ligusticis triremibus ad eam expugnandam missis, in suam potestatem sedegit: negociatores in ea capti, mercem (quæ octo supra centum quadraginta millibus licuisse dicitur) prædam adhuc majorem fecere. Paucis inde diebus tres longas naves (quæ in Cretam, ut remigio instruerentur, cursum tenebant) hostes interceptere. Indigne ferebant Patres, Genuensium vires tam brevi a clade insigni, quam superiore anno acceperant, ita restitutas, ut nil sibi tutum non modo alibi, sed ne in ipso quidem sinu esse sinerent. Et quia Vicecomitis opibus Ligurem bellum reparasse non ignorabant, ut eum quoque aliquo domestico bello implicarent, quo minus Genuensibus opitulari posset, sedulo curabant. Placuit igitur, præter alios socios, quos ad eam diem conciliatos habebant, cum Carolo quoque Boemiæ Rege (quo paucis ante annis adversus Mastinum Scalanum socio usi fuerant) fœdus renovare. Quo facto cum eo agere cœperunt, ut in Italiam quam validissimo posset exercitu adversus Vicecomitem transiret. Interim Genuensium captivi cum Venetis permutati sunt. Andreas Dandulus, quum annos ferme

*Plerasque
Venetas o-
nerarias
non uno lo-
co oppressit.*